



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales

Quibus Totum Hominis Christiani Officium Explicatur; Quídq̄ue is fugere,
quid agere debeat, quàm exactissimè traditur

Segneri, Paolo

Augustæ Vindelicorum, Anno M.DCCXII.

VD18 90637038

Celsissimo Ac Reverendissimo S. R. I. Principi Ac Domino, Domino
Marquardo Rudolpho Episcopo Constantiensi Domino Augiæ Majoris Et
Oeningæ &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51633)

CELSISSIMO AC REVERENDISSIMO
S. R. I. P R I N C I P I

AC
DOMINO, DOMINO

M A R Q U A R D O
R U D O L P H O
E P I S C O P O
C O N S T A N T I E N S I
D O M I N O A U G I Æ M A J O R I S
E T O E N I N G Æ &c.

*Celsissime, Reverendissime Princeps ac Domine,
Domine Clementissime.*

EX quo primùm negotiationem librariam ag-
gressus sum, id mihi semper animo propositū fuit,
ne res singulari Dei munere mortalium Reipublicæ
concessa, qualem esse artem Typographicā nemo
sapiens dubitaverit, meo vitio cuiquam obesset: id quod certò
futurum erat, si libri æternis tenebris dignissimi, meorum ty-
porum maleficio, potiùs, quàm beneficio, lucem aspicerent.
Quam tamen nocentissimam artem multi, prò dolor! facti-
tant, & lucrum ex aliorum pernitie, & sempiterna quidem,
iniquissimum utique, veniuntur. Tantam impietatem, & fa-
crile-

E P I S T O L A

crilegam nundinationem, quantum par est, perosus, in id magnis conatibus incubui, ut nihil mea ex officina unquam prodiret, nisi quod esset honestissimum; nihil inquam, nisi quod aut puræ castæque Musæ elucubrâssent, aut quod ad ipsum DEUM, finemque ultimum, libenter ab unica sua felicitate ceteroquin deviaturas Mortalium mentes, rectissimâ deduceret; & jucundissimis simul, ac innocentissimis illecebris ad omnem virtutem, ac vitæ sanctimoniam pelliceret.

Neque verò à scopo me aberrâsse existimo: cùm meis typis plures jam decades, & tantùm non centuriæ, librorum excusæ, sinceræ utilitatis, non tantùm nostræ Germanicæ, sed alijs quoque Nationibus, quas Latinum Idiomatis peritia pulcherrimo quodam foedere jungit, attulerint. Ex omni autem, magnorum etiam voluminum, numero, nescio, an ex ullis à multo tempore plus in Rempublicâ Christianam redundârît emolumentum, quàm ex ijs, quos Italico Idiomate vir Eruditione, Sacrâ Eloquentiâ, & juvandarum Animarum ardentissimo studio, multis Principibus, & illi maximè, qui hodie Universam Ecclesiam sapientissimè, sanctissimèq; moderatur, Principum Principi carissimus, vulgavit; & quos vel nostro, vel latino sermone loquentes, alijs boni cõmunis studiosi, reddidere. Horum ego cùm plures antehac edidissẽm, plurimâsq; ac maximas eorum lectitatione utilitates allatas abunde cognovissẽm, ad hunc quoque, qui præ manibus est, cum Germanis nostris, alijsque latinè scientibus cõmunicandum, animum adjeci; & tandem, quæ DEI Bonitas est, etsi non absque maximis meis laboribus & molestijs, quæ inter conandum (mali utique Dæmonis

N V N C V P A T O R I A.

Dæmonis invidiâ) aliæ ex alijs identidem nascebantur, affectus sum.

Hoc autem quid libri sit, quantum ex eo utilitatis in publicum emanaturum videatur, non alio quam tuo, Princeps Sapientissime, calculo, an veriùs Oraculo? affirmandum mihi judico. Eum enim Reverendissima Celsitudo Tua frequenti, iteratâque lectione sibi fecit planè familiarem; neque tot inter, non de Diœcesi tantùm amplissimâ, & inter omnes Europæas, quod quidem ego sciam, vastissimâ, curas; sed inter gravissimas etiam, quas tempora nostra planè misera, & tot annorum atroci bello invecæ calamitates postulant, sollicitudines, alienum à se duxit, hunc, blandiri nescium, etsi Authoris sui tantùm linguâ loqui doctum, crebrò audire monitorem. Quæ quidem res an in majorem tanti Principis, an verò Authoris comendationem, ac laudem cedat, non facilè dixerim; cedit certè in maximâ utriusque. Principis quidem, quia quis tantâ rerum agendarum mole obrui se non patitur, quò minùs sibi quoque vacet, & ijs, quæ meliorem reddere ipsùm met possint, constantem det operam, næ illum & absolutæ omnibus numeris virtutis ac sanctimonix, & quod virtute Principum, siquâre aliâ, maximè nititur, boni communis oportet esse studiosissimum. Hæc autem est brevis quidem, sed clarissima laudum in Principe omnium atque encomiorum synopsis. Talis enim qui sit, non potest profectò non esse optimus: siquidem tam bonus quisque est, quantum esse conatur; nec tam refugæ, & amari perosæ virtutes sunt, ut tergum obvertant amplexum paranti: cùm ergo, qui ita nego-

E P I S T O L A

tijs se gravissimis commodat, ut sui nunquam sit immemor, haud dubiè conetur esse optimus, talis quoque sit necesse est. Authoris porrò, & libri laus utique summa est, à Sapientissimo Principe, imò Principe Sapientum, ex innumeris & præstantissimis ita deligi, ut unus ipse potissimùm audiatur, unus propè ipse in manibus, & oculis habeatur,

Hæc verò cùm ita sint, neque Tibi, Celsissime & Reverendissime Princeps, nec cuiquam alteri mirum videri poterit, quòd Tua potissimùm in fronte libri hujus spectentur Insignia (quæ cognomines Celsitudini Tuæ Reverendissimæ Heroes stipant, hinc S. MARQUARDUS Episcopus Martyr, inde Rudolphus I. Imperator Augustissimus) Tuum legatur nomen, Tibi, verbo, sacrum dicatùmque librum ipsum ignotus ego velim. Cui enim potius offerantur dona, quàm cui certò videantur placitura? cui libri, nisi illi, qui unicè desideret, eos à quamplurimis volvi, revolvîq; , & quem prior ipse invenerit, cum alijs quoq; communem fieri thesaurum? Eo certè ex bonorum genere libri sunt, quæ cùm evadunt plurimorum, ita tamen locupletant singulos, ut nihil cuiquam ex aliorum cõmunionem decedat. Invidus omninò foret, & boni cõmunis osor acerrimus, qui non, ne ipse privetur, sed ut alijs careant, magni boni notitiam privatam vellet esse, non publicam. Hoc à vitio, tam turpi, tamque indigno, cùm Reverendissima Celsitudo tua absit longissimè; cùmq; ipsa nihil cupiat ardentius, quàm ut qui sibi Pastori crediti sunt, pinguis pabulis pascantur, & pascant; utriq; autem huic fini liber iste, si quis alius, aptissimè serviat; nihil etiã desiderabit vehementius, quàm
ut

NUNCUPATORIA.

ut illo, tum alij innumeri, tum ij præcipuè, qui maximo numero per latissimè porrectam Diœcesin animas pascendi curam suscepère, sic utantur, sic fruuntur, ut inde plurimum utilitatis in oves omnes dimanet. Quod cùm ad hanc diem, ob ignotum plerisque idioma non licuerit, ut æquissimis tanti Principis votis obsecundaret, latinè loqui didicit, sicque omnium oculis ejus velut manibus offerri gestit.

Sic scribebam, cùm primùm Liber iste novo suo habitu in lucem prodiret. Non fefellit me spes, sed tanti Principis encomio commendatus, & suâ ipse præstantiâ non invisus, brevi temporis spatio à tam multis expetitus, fructu tam multiplici, in Sacris maximè Asceterijs, lectus est, ut, ne communi bono deessem, denuo illum prælo subjicere coactus sim; in hoc tamen sibi dissimilem, quòd nunc non paucis mendis sublatis re-ctiùs pluribus locis loqui didicerit. Nolebat autem is etiam hoc sub schemate in alias priùs venire manus, quàm in illas, à quibus tantum antea pretij & æstimationis illi accesserat: non dubia spe, se nunc quoque tanti Principis oculis non displiciturum; & si his placuisset, satis istâ suâ sorte compluribus alijs fore commendandum.

Ita explicatis libri hujus Reverendissimæ Celsitudini Tuæ etiam altera hac vice, nuncupandi causis, nolo deinceps laudibus ejus commemorandis esse molestus. Eorum, Princeps Clementissime, es paucorum è numero, qui malunt facere laudanda, quàm, quæ fecerint, audire, aut legere laudata. Satis est, quòd Tuam illam Sapientiam, rerum agendarum summam peritiam, in providendo solertiam, in administrando indu-

EPISTOLA NUNCUPATORIA.

striam, omnibus, nullâ suarum utilitatum ratione habitâ, commodandi perpetuum studium, in egenos beneficentiam, in DEUM pietatem, honorisque Ejus promovendi ardentissimam voluntatem, verbo, decora omnia, quæ Ordinis Ecclesiastici Principem ornant, non Dicecesis magis tibi carissima, quàm tota Germania, totum Imperium, & quos nunc cum Imperio arctissima connectunt foedera, ament, venerentur, admirentur. Ego tandem aliud pro me nihil opto, quàm ut talis tantusque Princeps juvet conatus, faveat studijs, probet industriam meam, qui suas tantùm res agentium, suæ studentium, quieti exosus vilitatem atque ignaviam, id quibus possum modis curo, ut typorum meorum beneficio in Germaniam, quin in orbem universum, ex libris pulcherrimis in lucem datis, utilitates & commoda redundent infinita: quæ si me fors beat, profitebor æternùm

Reverendissimæ Celsitudinis Tuæ
Honoris ac Nomini

Clientem & Servum postremum, addictissimùmq;

Joannem Casparum Bencard.